



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XXXIX. Profunda eius Humilitas in Officijs honoratis, & prosperis euentibus: & insignes sensus circa eandem virtutem

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT XXXIX.

*PROFVND A EIVS HV MILITAS
in Officijs honoratis, & prosperis euenti-
bus: & insignes sensus circa ean-
dem virtutem.*



VAE haecenus retulimus de P. Balthassare, omnia fuerunt valde prospera, ipsique fauentia tam in Officijs, quae gessit, quam in agendo cum proximis: dedit enim illi Deus preclaros & stupendos euentus, ex quibus (vt haecenus ostendimus) magnam auctoritatem & sanctitatis opinionem acquisiuit, habitus ab omnibus valde spiritualis, prudens & in omni virtute praestans, tam inter homines Societatis, quam inter saeculares multos, magnos, & illustres Dominos. Sed antequam exortam hoc tempore tempestatem aduersus eum, ad eius splendorem obscurandum excitatam referamus, expedit profundam eius humilitatem ostendere, quam in medijs tot honoribus, & prosperitatibus seruauit: quod indicium est heroicae eius sanctitatis. Si-
Serm 13. in, quidem (vt Sanctus Bernardus ait) magna & rara
Cantica „ virtus profecto est: vt magna licet operantem,
 „ magnum te nescias: & manifestam omnibus tuam
 „ te solum latere sanctitatem. Mirabilem te alij
 „ viderere, & te contemptibilem te ipsum reperi-

tate. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico. Et alibi dicit: non est res magna, humilem esse cum quis parui sit: magna tamen virtus est humilitas honorata; rara auis in terris, aut non sanctitatem non perdere; aut humilitatē sanctimonia non excludi: & difficile valde est, in loco esse excelsa, & altum non sapere, res quidem valde inusitata, sed quo minus vsitata, eo gloriosior. Hic autem vir Dei, magna gloria dignus fuit, eò quod rem ad eò raram & in virtute præclaram obtinuerit, conseruans humilitatem & nihil amittens sanctitatis, ne euanesceat ex honore & opinione eius.

VIRTUS hæc (vt S. Bonauentura ait) res complectitur gradus: se ipsum scilicet vilem iudicare; desiderare ab omnibus talis haberi; nec extolli ex donis Dei, quantumuis magnis: & in omnibus tribus fuit insignis P. Balthassar, vt sensim explicabimus.

§. I.

PRIMUM, quemadmodum valde illustrabatur cælesti luce in cognitione Dei, eiusque magnitudinū: ita etiam excelluit in cognitione sui ipsius, & propriæ abiectiōis, quæ solet illam comitari, cum perspicit & agnoscit aliquas veritates, quibus perfecta humilitas nititur: quarum vna est agnoscere plurimas miseras, quibus homo ex se ipso subiacet, nisi Deus, aut præseruet, aut eripiat ab eis: in qua veritate agnoscenda valde fuit illustratus, magnaque interna sensa circa illam habit, quæ ipse refert in suo libello. Quodam die mane (inquit) euigilaui valde

Ff 4

iucun-

Serm. 45. in
Cantica.
Epist. 42.
circa mediū.

Process 6.
Relig. cap. 21.

“Meuse Oß.
1574.”

„ iucundus ex quadam cogitatione, & sensu, qua-
 „ lem in mea vita non habueram: agnoscens, quid
 „ sit anima aliqua cum Deo; & quid sine eo: & quod
 „ sine Deo sit ipsamet deformitas, ipsamet nox, &
 „ ipsamet mutabilitas; est cinerum cumulus ante
 „ faciē vehementis venti; est solaris horologij acus
 „ siue lingula, antequā polū rectā respiciat: deniq;
 „ homo sine Deo stultus, & stupidus omnino est: cū
 „ Deo verò omninò contrarius; quia est sicut Deus.
 Et qui tales habebat sensus, cū ē somno vigilabat:
 signū est, frequēter se in huiusmodi cogitationibus
 exercere cum vigilabat: Nec sine causa Deus illi
 iucundum hunc & gratum saporem in eo sensu
 communicauit: nam etsi videatur, inspidum quid
 agnoscere propriarum culparum deformitatem,
 ignorantiarum noctem, instabilitatem decreto-
 rum animi, & quam sit cinis cū vehementes
 tentationum vēti contrā spirant, & irrequietam,
 quam sentit, cū est sine Deo, nec diuinum hunc
 polum respicit: at Deus D. N. nouit has cogitatio-
 nes suauissimè condire ea tranquillitate, quam a-
 nima sentit, hinc videns suam miseriam; inde ve-
 rò ab eadem, si Deo coniungatur, liberari.

DEDIT præterea idem Dominus noster ma-
 gnā huic Patri lucem, ad perpendendos valde
 suos defectus, quamuis paruos; & quā vilem ip-
 sū redderent; & præcipuè, quod Dei ipsius do-
 na inepta sua mixtura valde defœdarent, vt cō-
 stabit ex quodam sensu, quem in suo libello indi-
 16. Nou. „ cavit, sic dicens: cum peterem à Deo D. N. ve co-
 1568. „ gitationes, verba, & opera mea purè ad suum di-
 „ uinum obsequium dirigeret: euigilanti mihi &
 „ semidormienti quodam mane oblatum est, quāsi
 in mo-

in momento, quod nunquam ego vel cogitare
 potuissem, & multò minus petere: nam nulla mea
 dispositione præcedente, insignem quendam in-
 ternum habui sensum, quod vita nostra spiritua-
 lis sit tanquam preciosissima tela aurea: & quem-
 admodum in ea non est exigua deformitas quod
 flum aliquod rude crassumque inseratur; nec
 paruum detrimentum, quod in excellenti & pre-
 cioso panno rudis & inepta aliqua raritas appa-
 reat: ita non exiguum damnum censendum est
 mixtura propriarum cogitationum, verborum, &
 operum quæ nos affuimus ijs, quæ Deus nobis in-
 spirat: quale est quod vni cogitationi, quam diui-
 na eius maiestas cordi nostro suggerit, nos admo-
 neamus ex capite nostro duodecim, quæ illam
 obscurant; & vni verbo, quod nobis inspirat, vi-
 gintiquatuor inania, quæ nos loquimur, adiun-
 gamus, effundendo nos ipsos sine causa & ratio-
 ne; & vni operi, quod nobis imponit, quatuor aut
 sex nobis ipsis addamus. Tela enim hæc, vt pre-
 ciosa sit, texenda est diuinis cogitationibus, ver-
 bis, & operibus: quare ijs, quæ ipse inspirat, bo-
 num aliud frustum cum eius auxilio addere nos
 decet, vt tela crescat: at ex huiusmodi mixturis
 rudibus, ac crassis non leue accipit detrimentum:
 nam in his externis & materiatis, sensum habe-
 mus apertum & acutum: qui in spiritualibus clau-
 sus est, & obtusus. Deducamus hoc ex rebus his
 externis: certè non leuiter displicet, nostrumque
 palatum offendit, quod post singulos bolos ex
 fructibus alicuius patinæ aliquid inueniamus
 corruptum; & in botro post singula bona grana,
 putridum aliud occurrat: quod si ita eueniret in

„ omnibus, quæ in mensa nobis apponuntur, surge-
 „ remus ex ea, iudicantes, nō satis nobis fuisse pro-
 „ spectum. Similiter, quod in vno lactucarum le-
 „ cto non nisi sex inuenirentur bonæ; & in pyro
 „ fructibus referta, duodecim tantum pyra essent
 „ apta; & in latericio muro duodecim inueniri la-
 „ terum ordines nō agglutinatos; & in aliqua ima-
 „ gine, quam vel vnus defectus deformaret, nihil
 „ inueniri præter vnū aliquid in eius facie bene de-
 „ pictum; & in charta valde alba ac nitida post su-
 „ gulas voces esse lituras, & maculas. Hæc non sunt
 „ exigua detrimenta, nec reddunt res parum viles.
 „ Tale igitur est animæ malum, à qua Deus inte-
 „ gram exigit puritatem: quod malum ex mixtu-
 „ ra oritur cogitationum, verborum, & operum,
 „ quæ progenies sunt propriæ voluntatis, cum de-
 „ berent esse diuinæ: non est malum hoc somniant
 „ oblatum; sed verum, ab ore Dei prolatum, quod
 a *Isaia* 64. „ nobis obijcit, quod a *vniversa iustitia nostræ*
 6. „ *sint quasi pannus menstruata, & abscondit faciem*
 „ *suam à nobis.* Nec hoc est maximum malum, sed
 „ secundum accedit, quod talis vita modusque a-
Psal. 105. „ gendi noster non humiliet nos: cum tamen similis
 43. „ agendi modus Patres nostros humiliauerit, vt
 „ ait Dauid; nec facit nos interius erubescere in
 „ conspectu ipsius Domini. Artifices illi, quos no-
 „ minauimus murarium, pictorem, & scribam val-
 „ de erubescerent coram quibuscunque, etiam vul-
 „ garibus hominibus, ipsorum defectus aduertent
 „ tibus; & nos non erubescimus coram tanto Do-
 „ mino. Ille non est nobiscum contentus; & nos su-
 b *Hier.* 3. 3. „ mus etiam læti, & pacati: b *facta est nobis frons*
 „ *mulieris meretricis, noluimus erubescere?* H. s. cer-
 cium

cium accedit malum : quòd tot mala & mixtura
 adeò vilis non sufficiat ad nos humiliandos : cum
 tamen vel modicum bonum, quod faciamus, abun-
 dè sufficiat, vt inaniter extollamur, & vel illud
 modicum si non omninò pereat, saltem sit etiam
 offuscatur. Vel vnum granulum auri, quod vi-
 demus in luto; particula alicuius gemmæ fimo te-
 cta, flos aliquis multis spinis stipatus pulchra sunt
 bona, sed foetidis & abiectis rebus admixta. quid
 turpius; aut quid magis conterat cor nostrum?
 sensum hunc miseræ nostræ Deus illi est largitus:
 quo ille valde se humiliabat, & in suis oculis eru-
 bescebat. Et in eundem finem magnum alium de-
 dit illi sensum recogitanti de suis defectibus,
 sub hac similitudine : Quando tandem disces
 mundè scribere, & sine lituris? quando æ-
 qualiter lineas duces, ac rectè? quando be-
 nè characteres efformabis, celerique manu scri-
 bes? quasi dictum sibi existimaret : adhuc es
 infans, & Tyro in virtute: nec didicisti rem ali-
 quam facere perfectè.

S V V M quoque nihilum dedit ei agnoscendum,
 & quam parum nostræ diligentiae valeant, vt in
 obsequio Dei progrediamur ob nostræ disposi-
 tionis imbecillitatem, adferēs ad id quod S. Apo-
 stolus dixit: *c non est volentis neque currentis, sed* *c Rom. 9.16.*
Dei miserentis. Dei enim misericordia nos pro-
 mouet: cuius non minus est capax qui debilis est,
 quam qui fortes esse videntur. Cùm quadam die,
 inquit, abiectum valde ac desolatum me viderem:
 & anima mea ad Deum sicut terra sine aqua
 clamaret: incidit tenera quædam cogitatio:
 quam rectè, apteque Deus constituerit, vt,
 quidquid

S. Bernard.
 Serm. de S.
 Mart.
 3 Non. anno
 1575.

quidquid anima habet, & potest, sit à dulcissima eius manu: ut tum sit bonum, quod habebit; tum possit multum habere, & tutò possidere, ipsumque Dominum largitorem agnoscens, seipsam in reddenda ei gloria propterea occupare. Et hinc sensus ille oriebatur, quem percipiebat ex sua à Deo in rebus omnibus dependentia, magnaque de se ipso diffidentia. Quodam die, inquit, rexit mihi *21. Decēb. Anni 1575.* Dominus deceptionem meam circa fiduciam in me ipso, in modum videntis aliquod phantasma, ex quo terretur & obstupescit. Prius mihi in eorum tu duarum Missionum ostenderat, me posse corius dicitur illi fidere in omnibus; & nunc, quod mihi ipsi in nullo, nec quoad virtutem, nec quoad scientiam. In exhortationibus deficiebant mihi verba, & suspensus hærebam; aduerti, virtutem, quam illis dabāt, vitam esse ipsius: ideoque decreui me ipsum deserere, & ad ipsum transire. Vidi clarus quàm digitos mearum manuum, securitatem in meis periculis, fuisse eius protectionem; meamque scientiam in loquendo esse, quod ipse ex sapientia sua mihi dedit; & hanc solam portionem aclectionem esse, quæ opus cum lucro faciat, & ita intellexi, debere nos in rebus omnibus ab ipso, & infinita eius misericordia dependere.

DE NIQVE: ut in hoc primo humilitatis gradu esset perfectus, concepit Sanctum quandam timorem, ne peccaret; bonumque amitteret, quod habebat: ne, si amitteret, non posset fortè illud recuperare: qui timor sollicitum valde in eius conseruatione faciebat. Et existimans, quasi nihil esset, quod haberet; seque esse valde in initijs, optabat semper ulterius progredi, iuxta illud Ecclesiastici

stitici de viro humili: d *cum consummauerit ho-* d *Ecl. 18. 6.*
mo, tunc incipiet; quasi non incepisset. Et hinc de-
 sideria illa oriebantur, quibus petebat à Deo, vt
 ipsum ad se conuerteret, quasi conuersus non ef-
 set. Et refert ipse in suo libello, quod in mense
 Februarij Anni 74. cum iam adeo profecisset, vt
 superius vidimus, oranti inciderit dubiũ, an Deus
 vellet ipsum conuertere? sed expeditum id fuisse
 interno quodam sensu de fiducia in Dei miseri-
 cordia; posito exemplo in se ipso: si quis, inquit, te
 offendisset, & aduerteret se malè fecisse: an non
 tibi placeret? omnino. Quod si lux & cognitio e-
 ius iniuriæ faceret illum erubescere ac dolere; te
 seque subijcere cuius pœnæ in satisfactionem ob-
 talem culpam admissam, subeundæ; cuperetque
 ac statueret non repetere similem stultitiam: An
 non multò amplius gauderes? procul omni dubio.
 Quod si per se ipsum ad hoc præstandum non suf-
 ficeret, an non eum iuuares, vt cœcitatem suam
 agnosceret, & animum ad hæc omnia præstan-
 da conciperet: saltem quod ad te ipsum spectat, ad
 iniuriam dico tibi illatam? ita certè. Quod si in-
 iurius ille, esset tibi valde obstrictus, tuque opta-
 res ab illo diligi, eumque ad tuam amicitiam re-
 dire: id ipsum tu desiderares, & vt faceret adiuua-
 res duplici nomine, tum propter tuam iniuriam,
 tum propter ipsius perditionem: nam ex tali eius
 conuersione, pro iniuria tibi illata satisfaceret, e-
 iusque ruina repararetur. Si igitur tu hæc omnia
 erga eum, qui te offendit, fecisses: quomodo du-
 bitas, Deum idem velle de te, & libenter visurum,
 quod à peccando desistas, ad eum te conuertas, at-
 tendas stultitiam tuam, eamque desicias, teque sub-
 iicias

» iicias omni poenæ & satisfactioni, quam à te re-
 » quisierit, & donec ad eum peruenias gradum, vt
 » vel solum, de recidiuo in similem, aut etiam mi-
 » norem offensionem cogitans, contremiscas: quod
 » si tu inferentes tibi iniuriã in his omnibus velles
 » iuuare: cur diffidis Deum suos adiuturum?
 » & cum ad se redierint, recepturum; primum
 quidem propter se ipsum, deinde propter illos:
 quia ad ipsum spectant, eosque patris imitari
 amat, cupitque se ab omnibus amari. Hac ra-
 tione animabat se humilis hic Pater: nam vera
 humilitas non est timida, nec animum abijcit, aut
 desperat: potius, quò suis viribus minus
 confidit, eò fidit amplius Deo; & videns, se
 nihil in se posse, sperat, quòd in Deo poterit
 omnia.

§. II.

AB hoc humilitatis gradu progressus est ad
 secundum, quo gaudebat vilis haberi apud
 alios, & vt talis ab eis tractari. Ac propter
 ea pro viribus tegebat dona à Deo accepta, siue
 naturalia, siue supernaturalia, quæ præstare apud
 homines viderentur. Et cum in inijs repugnan-
 tiam aliquam in hoc sentiret, quia videbatur ma-
 gnum quid facere, talia occultando: hæc illi oc-
 » currit cogitatio: an non filius Dei plura occulta-
 » uit, ac dissimulauit? & statim quieuit, & erubuit,
 » maioremque adhibuit curam in occultandis mi-
 » sericordijs Dei erga se, quæ multæ valde erant.
 » Ac propterea pauca innotuerunt. Contra verò
 » valde fuit promptus ad suos defectus natu-
 rales

rales manifestandos, dicens: se, nec eruditionem, neque ingenium, nec aliud quicquam habere, ob quod magni esset æstimandus; neque id solum, sed sua quoque peccata in eundem finem aperiebat: quemadmodum fecit apud Patrem Aegidium Gonzalum Abulensem, Prouinciæ Castiliæ Visitatorem, cum ipse esset Rector Metinensis: nam prima vice, qua eum ex instituto fuit allocutus, ut rationem suæ conscientiæ extra Confessionem pro more Societatis redderet: aperuit illi omnia totius vitæ suæ peccata, ita ut Pater ipse Visitator non potuerit illum prohibere. Ex quo adeo obstupuit, ædificatusque est, ut ad Sacrum faciendum se conferens, vix aduerteret, quid faceret, adeo erat attonitus, ex heroico humilitatis actu Patris Balchassaris. Hoc retulit ipsemet Pater Visitator, ad Sancti huius viri humilitatem manifestandam: & ab eo tempore per totam vitam magni semper illum fecit; nec sibi potuit persuadere, verum esse, quod postea de ipso vulgabatur: id permittente Domino nostro, ut innotesceret, quam vera & solida essent desideria, quibus optabat vilis haberi. Siquidem in ipsis contemptibus nihil remittebant. Est autem hæc magis heroica humilitas, nam etsi Dei dona occultare ad hominum honorem fugiendum, sit excellens humilitatis actus; & excellentior adhuc, propria peccata occultosque defectus, ad opinionem de se hominum, propriamque æstimationem obscurandam manifestare: multo tamen excellentior magisque heroicus actus est, quando huiusmodi honoris iactura & con-

& contemptus occurrunt, ex eis gaudere & animo exultare. Nā (vt benè Cassianus aduertit, exēploq; Monachi cuiusdā cōfirmat, qui, etsi humilis videretur, reuera talis nōn erat) aliqui malè de se ipsis loquuntur, vt humiles habeantur; optantes id non credi, sed virtuti humilitatis attribuitam cū alij malè de ipsis loquuntur, ipsi tristantur, & torquentur; & pacem ac patientiam abijciunt. At P. Balthassar, non solum libenter se ipsum contemnebat; sed etiā exultabat, cū aliquid eueniebat, quo ab alijs contemnerentur; vt in subiectis exemplis apparebit.

§. III.

HINC ad tertium humilitatis gradum ascendit, cum ex donis excelsis, & officijs à Deo sibi datis non euascescebat. Nam, cū res eius dignæ valde essent, quæ magni fierent, adeo ipse parui eas faciebat, vt proprias exhortationes in abiectis chartis & superscriptionibus adnotaret; ac diceret, se ab omnibus domesticis confandi, ac doceri: & re ipsa ab omnibus, etiam ipsis Tyronibus discebat libenter. Horum quidam in exhortatione quam in Vigilia Pentecostes habuit, (quemadmodum fieri solet ad ingressum in Societatem, vt suum talentum ostendant) dixit cum feruore inter alia: nunc venit Spiritus sanctus, exeamus illi obuiam, eius insignibus induamur, & siquidem ipse est Spiritus sanctus, exeamus & nos in spiritu. Quæ ratio adeo P. Balthassari arrisit, vt sæpe eam cum magno animæ suæ fructu repeteret. Alter Nouitius in quadam spiritali confes-

conferentia (pro ut moris est in Nouiciatu) respōdit semel, se valde erubescere, quod res tam parua, res adeò magnas impedirent. Quod verbum adeò profundè ad Patris Balthassaris cor penetravit, vt multa interna sensa Deus illi dederit circa illud: & quamuis sæpius repeteret huius veritatis considerationem, nunquam tamen tædio propterea afficiebatur; sed semper quasi recens videbatur ipsumque recreabat.

AVDITUR alia vice Patrem quendam dicens, quendam paruum puerum interrogatum, cur precipuus quidam Nobilis in quodam paruo pago habitaret, respondisse: eò quòd bona sua ibi haberet. Vir hic Sãctus, qui ex rebus omnibus spiritum eliciebat, ex hoc deduxit, quòd Christus D. N. iam in cælo gloriosus etiam inter nos remansisset, eò quòd hic haberet sua bona, animas scilicet suas, vt eas custodiret, eisque prospiceret: propterea enim tempore Sacræ Communionis dicitur: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*, semper scilicet, donec ad illam peruenias. Postquam autem pium hunc sensum habuit, dixit Patri, qui hæc reulerat: hoc ego habeo, quòd quilibet puer me etiam doceat: ac propterea subditi ipsi aliqua interdum ei dicebant, quæ ad hoc eius institutum tendere videbantur, respicientes ad humilitatem, qua ex omnibus proficiebat. Quidam ei dixit, se legisse apud S. Thomam: in prima mundi ætate non fuisse idololatriam; eò quòd memoria Creatoris tunc esset recens: & hoc videri valde ad rem ad virtutem Orationis intelligendam, quæ, cum renouet Creatoris memoriam, efficit ne inordinate ad

Gg crea-

Pater Ioannes Salsus scripsit ac retulit.

creaturas afficiamur. Quæ sententia adeo profundè pectus viri Sancti penetrauit, vt aliquamdiu suspensus hæserit: & postea petijt, ostendi sibi locum S. Thomæ, vt rem melius assequeretur: Mecum etiam ei accidit, quod Capite 34, fuit insinuatum.

ETIAM SI tot gesserit Superioris Officia, nunquam tamen aliquis in eo, vel arrogantiam, vel vllam elationem aduertit: in omnibus enim incedebat sicut alij; & ad res humiles & abiectas erat primus; & valde singularis in deferendo alijs, etiam subditis. Cùm esset Nouitiorum Villa-Gartix Magister adeo venerabatur fratres studiosos, qui studijs finitis ad tertiam mittebantur probationem, vt cùm ego vnus eorum essem, valde erubescerem, quòd tanto me honore afficeret: & cùm domo egrederetur, cum socio graui aliquo Patre, non erat modus, vt ipse ad socij dexteram, sed socius ad ipsius dexteram, ambularet: & quando peruenit Tolerum, eius Prouinciæ Præpositus Prouincialis, in primo suo ingressu flexit genua, vt subditorum manus oscularetur, vt postea dicitur.

